



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 1. Quibus modis peccetur contra hoc praeceptum per omiſſionem,
specialiter de ignorantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

bonorum aut honorum exterius tantum, & fidei animo fidem negant, & actionem confessioni fidei contrarias exercent, non incurrere penas, seu censuras latas simpliciter contra hereticos, vel Apostatas. Hæc est communior sententia, quam docet Syluester verbo *Apostasia* 1. quæst. 1. & verbo *heresis* quæstione 5. 6. & 9. Angel. verbo *Apostasia* quæst. 9. & Tabien. verbo *Hereticus* num. 2. & verbo *Apostasia* num. 3. Navar. cap. 110. numero 27. numero 56. D. Antoninus 2. part. titulo 18. capite 5. & 6. Tolet. libro 4. Sum. capite 4. numero 6. Azor. tom. 1. lib. 8. institut. mor. cap. 9. q. 9. 10. & 11. & cap. 21. q. 5. & 6. & plures alios in simili quæstione de externo idololatra, retuli in tom. 7. de religionelibro 2. de superstitione capite 6. in fine. Ratio est, quia lex pœnalis est stricti iuris, & restringenda ad delictum perfectum, & consummatum, quatenus per verba legis significatur: quod principium ex materia de censuris, & ex materia de legibus, tanquam certum supponitur. At verò leges, seu Canones simpliciter puniunt hereticos, & apostatas, sub quibus nominibus isti sic lapsi in confessione fidei, non comprehenduntur. Nam in primis non sunt simpliciter heretici, vt patet, quia fidem retinent, nec etiam sunt simpliciter apostatae, vt rectè docuit Alens. 2. part. quæst. 163. membro 2. & innuit Dñus Thom. 1. 2. quæst. 12. art. 1. ad secundum, & probatur, quia isti simpliciter & verè non recedunt à fide, & religione Christiana, sed tantum fidei, & ideo simpliciter non committunt apostasiam veram, quæ est apostasia perfidie: sed tantum, fictam, & simulatam: non ergo incurrunt penas latas simpliciter contra hereticos, vel apostatas.

Ratio pro
resolut,

Corollar. 2.
ex proxima
resolutione.

Ad fundam.
Caset. in n. j.

5. Ex quo infertur primò, huiusmodi homines propter tale crimen nullam censuram ipso facto incurrere. Probatur, quia non inuenitur specialiter contra illos lata. Secundò infertur tale crimen non esse reservatum Papæ, nec iuri communi: probatur; quia secundum commune ius nullum peccatum est reservatum Papæ, quod censuram annexam non habeat, nisi fiat particularis exceptio, quæ in hoc casu non inuenitur. Ex dictis colligitur facilis responsio ad fundamenta Caietani: nam ad primum iam declarata sunt illa iura. Ad secundum verò respondetur Ecclesiam non punire actum internum separatim ab externo, punire tamen externum, vt procedit ab interno, & eius malitiam induit, & ideo per dictas leges non punit hunc externum actum, quia non procedit ab infidelitate, quam præcipue per illas leges punire intendit. Quod secus est in aliis, quæ feruntur contra Magos, verbi gratia, vel Ariolos. Ad tertium verò respondetur illam absolutionem dari ad cautelam propter presumptionem, & peccatum illud propter suam malitiam etiam puniri ab homine; aliter verò quam propria heresis, vel apostasia, quando in foro externo sufficienter fidelis animus præsumitur. Ad quartum negatur similitudo: nam furtum in sua malitia non pendet ab interna intentione, eo modo quæ heresis, vel apostasia. Nam furtum est peccatum in sua specie perfectum: quantumvis ex metu fiat, non autem heresis, aut apostasia, si deest falsa existimatio.

DISPUTATIO XV.

De peccatis fidelium contra internum preceptum fidei.



N præcedente disputatione, propter materiam breuitatem, & commoditatem, simul dixi de præcepto exterioris confessionis fidei, & de peccatis, quibus violatur: in prioribus autem disputationibus, quanuis præcepta de

interna fide explicuerim, tamen tractatum de peccatis contrariis, quia longam disputationem possulant, in hunc locum reservauim. Peccatum autem contra fidem internum duplex in genere distingui potest. Vnum est ita repugnans ipsi fidei, vt illam excludat, quod generali nomine infidelitas appellatur. Aliud est, quod fidem non excludit, & huiusmodi vocamus peccatum, quod in homine fidei esse potest non solum diuise (vt sic dicam) sed etiam compositè: nam primum peccatum infidelitatis, etiam ab homine fidei committi potest, sic enim contingit fidelem hominem in heresim labi: non tamen retinendo fidem, & ideo dicimus fidelem posse infidelitatem committere, non in sensu composito (vt aiunt) sed in diuiso: nam qui erat fidelis potest infidelis fieri, amittit tamen fidem. Nunc autem peccata fidelium vocamus ea, quæ sine amissione fidei, ac proinde in sensu composito in homine fidei esse possunt. Et de iis in præsentis disputatione tractamus, quia materia brevis est, vt postea latissimam materiam de infidelitate disputemus. Denique iuxta duas obligationes præcepti fidei supra declaratas, affirmatiuam scilicet, & negatiuam, dupliciter potest fidelis contra præceptum fidei peccare, scilicet omittendo, & committendo, quæ duo genera peccatorum breuiter explicabimus.

SECTIO I.

Quibus modis contra internum fidei præceptum per omissionem peccetur, & specialiter de ignorantia.

EX præcepto fidei affirmatiuo duplex oritur obligatio, vt supra etiam dixi; vna est ad exercendum debito tempore actum fidei. Alia est ad sciendam materiam fidei, vt possit suo tempore actus fidei circa illam exerceri, & contrarius actus vitari. Primò ergo dicendum est, interdum peccari grauiter contra fidei obligationem omittendo interiore actum fidei quoad exercitium eius, de hac assertione seu de hoc genere peccati vix aliquid in doctoribus inuenitur, fortasse, quia hoc peccatum nimis occultum est, tam ratione actus interni, cui opponitur, quam ratione temporis, pro quo præceptum fidei obligat ad exercitium actus, quod difficile designatur, vt supra etiam dixi disp. 13. sectione 5. nu. 6. vel etiam quia hoc peccatum raro committitur, ita vt sit speciale contra hoc præceptum, quia obligatio exercendi actum fidei frequentius oritur ex aliis virtutibus, religionis, penitentis, aut similibus. Vnde etiam fortasse factum est, vt hoc peccatum non habeat speciale nomen impositum, quia re vera non est ignorantia, de qua communiter loquuntur Doctores, nec est simpliciter carentia fidei, sed solum quidam non usus eius pro certo temporis articulo.

2. Sed nihilominus negari non potest, quin hoc sit speciale peccatum omissionis contrarium fidei, & ex genere suo mortale. Probatur, quia certum est, præceptum fidei obligare ad exercitium sui actus, vt supra visum est. Certum est etiam posse hominem voluntariè non exercere talem actum tempore debito, quia hoc ex libertate hominis pendet; ergo tunc illa omissio erit speciale peccatum contra virtutem fidei, quia est transgressio specialis præcepti eius, & privatio moralis honesti actus tunc debiti. Quia verò hoc peccatum merè internum est, non habet peculiarem penam impositam, quia de hoc defectu constare Ecclesie non potest, nisi quando simul peccatur in confessione fidei, & tunc non habet aliam penam, nisi quæ pro peccato commissio circa confessionem fidei imposita est. Vnde circa hoc peccati genus nihil aliud notandum occurrit. Nam ad cognoscendum illud vel multiplicitate

Quotuplex
peccatum
contra fidem
internam
committi
possit.

1. Assertio.
Grave pec-
catum inter-
num commi-
tur omitti-
do internum
fidei actum.

Hoc peccatum
omissionis
fidei est
speciale, &
mortale ex
genere.

Peccato omi-
ssionis fidei
nulla
pena est
imposita.

plicationem eius solum sunt consideranda, quae de tempore huius obligationis superius diximus sect. 5. citata.

3. Secundò dicendum est etiam peccari graviter ignorando articulos fidei, quos ex praecepto scire tenemur, idque intelligendum est de tota materia, quae sub praeceptum fidei cadit. Hæc est assertio communis Doctorum, & certa. Ita Sylvest. verbo *scientia*, numero unico, Angelus & Tabien. ibidem, Navar. capite 11. num. 22. Medin. libro secundum summ. capite 7. & Tolet. libro quarto, summæ capite 1. numero 10. & alij. Probat, quia contra omne praeceptum affirmativum peccatur voluntarie omittendo actum eius, sed praeceptum fidei affirmativum verè obligat ad sciendam materiam fidei, cui scientiæ per modum omissionis opponitur ignorantia, quam vocant negationis, seu privationis, de qua nunc loquimur: ergo talis ignorantia est speciale peccatum omissionis contra praeceptum fidei. Unde etiam constat hoc peccatum esse mortale ex genere suo, ut omnes etiam docent. Et ratio est, quia praeceptum est gravissimum, & de re valde necessaria ad salutem: gravitas autem peccati ex gravitate materiæ, & præcepti iudicanda est.

Dico autem ex genere suo, quia intra suam speciem est mortale, in individuo autem potest esse veniale, vel ex levi negligentia, seu imperfecta deliberatione, iuxta ea, quae paulo post dicam, vel ex levitæ materiæ, iuxta supra dicta disputatione 13. Nam ignorare, verbigratia, substantiam mysteriorum symboli, vel aliquid ex præcipuis illorum, materia gravis est: nescire autem ipsum symbolum memoriter, vel ordinem articuli, vel orationem dominicam, vel etiam unum articulum minoris momenti, ut descensum ad inferos, non est grave peccatum, quia illa materia communiter gravis non censetur: sicut etiam nescire signo crucis vti ad signandum more Ecclesie consueto aliquatim certe culpa est, non tamen gravis, ut quidam nimis rigorose sentent: erit ergo ad summum peccatum veniale, ut bene Sanchez cum aliis dixit dicto libro secundo, cap. 3. num. 14. & iuxta hæc de aliis iudicandum.

4. Duo vero supersunt explicanda circa hanc posteriorem assertionem. Primum est quomodo possit hæc ignorantia esse speciale peccatum. Et ratio dubitandi est primò, quia ignorantia non est omisio actus, sed habitus carentia, peccatum autem omissionis esse debet in omissione actus: nam sicut habitus non potest esse peccatum commissionis (quia de non habendo habitu nullum est praeceptum) ita nec carentia habitus potest esse peccatum omissionis, ideoque peccatum definitur per actum, & D. Thom. addidit sub actu comprehendere carentiam actus. Secundo quia aliàs sequeretur eum, qui aliquo tempore ignorat res fidei, continuò toto illo tempore peccare, quia continuò ignorat. Consequens est aperte falsum: ergo. Tertio, quia videretur sequi eum, qui ignorat particulares articulos fidei plura peccata committere, quia habet particulares ignorantias: privationes enim iuxta positiuas formas multiplicentur, sed ille particulares veritates ignorat: ergo particulares ignorantias habet: ergo plura peccata committit. Quarto, quia si ignorantia est peccatum, erit in intellectu, unde fit in materia fidei, erit quidem eius carentia: ergo erit quædam infidelitas, sed nulla infidelitas potest esse simul cum fide: ergo nec tale peccatum potest esse in homine fidei.

5. Hæc obiectiones proponuntur, ut per occasionem earum nonnulla, quæ ad hoc peccatum pertinent explicemus. In prima petitur generalis questio, An ignorantia secundum se sit peccatum, vel tantum propter antecedentem negligentiam, ipsa verò ignorantia potius sit effectus peccati. Quam

Suarez de Fide.

dubitationem tractant Theologi prima secundæ, questione 76. articulo 2. & in 2. sentent. dist. 21. vbi Durand. questione 2. docet peccatum ignorantie consistere in sola negligentia, & faver non parum D. Thom. dicto articulo secundo, vbi etiam Conrad. & Caietanus. Et latè defendit hanc sententiam Vasquez, ibi disputatione 118. capite 2. & Cordub. in questionario libro 2. quest. 6. Præcipua ratio est supra tacta, quod ignorantia est privatio habitus. Alij nihilominus docent ignorantiam secundum se esse peccatum, quod videtur esse communis Doctorum, quos dicti authores latè referunt, & potest suaderi, quia peccatum ignorantie est in intellectu, negligentia autem non est in intellectu, sed in voluntate. Tamen, ut existimo, hæc controuersia facile componi potest, si in verbo *ignorantia* non sit æquivocatio. Aduertendum est ergo ex Diuo Thoma in illo articulo secundo ad tertium, quod sicut peccatum commissionis non est tantum in actu voluntatis, sed etiam in actu exteriori volito, & prohibito: ita omissionis peccatum, quod extra voluntatem consummatur, non est tantum in voluntate, sed etiam in carentia actus præcepti, & ideo tale peccatum, ut est externum, id est extra voluntatem, in ea potentia est subiectivè, ad quam pertinet actus præceptus, licet casualiter sit in voluntate, ut de ignorantia expresse dixit D. Thom. in 2. dist. 22. quest. 2. art. 1. ad primum. Quamvis ergo formale peccatum ignorantie sit in voluntate ignorandi, externa autem omisio, quæ est proprium peccatum ignorantie in alia potentia esse debet. Et hinc rectè concluditur ignorantiam esse in intellectu tanquam in subiecto, & hoc rectè docet posterior sententia. Addendum verò vltèrius est, hoc peccatum formaliter non consistere in carentia habitualis scientiæ; nam ut rectè dixit Diuus Thomas in 2. vbi supra ad secundum, & tertium, hoc peccatum actuale est, & ideo debet consistere in privatione actus, non in carentia habitus. Præterea supra diximus disp. 13. sect. 5. num. 9. praeceptum sciendi res fidei non dari de habituali scientia, seu memoria, sed de actibus, quibus illa acquiritur, peccatum autem omissionis consistit in carentia eius, quod praeceptum est: ergo hæc omisio, quæ est ignorantia in carentia actus consistit, in hoc ergo rectè dixit prior sententia. Ex his verò tandem concluditur, hoc peccatum formaliter esse ignorantiam quandam actualem, quæ vocari solet inficitia, quia est carentia illorum actuum intellectus, qui ad scientiam, seu cognitionem fidei necessarii sunt. Et hoc modo dixit D. Thomas in prima secundæ, dicto articulo secundo, ad tertium, ignorantiam, quæ est peccatum, consistere in negligentia, vel inficitia. Ex quibus duobus hoc secundum mihi magis placet, quia ignorantia pertinet propriè ad intellectum, negligentia enim, ut dixi, magis videtur spectare ad voluntatem, vel ad aliquas actiones corporis necessarias ad considerationem mentis, quarum omisio tunc nomen negligentie meretur, quando voluntaria est.

6. In secunda obiectione petitur, an semper peccetis, qui culpabiliter ignorat. Ad quod responderi D. Thom. questione tertia, de malo, articulo primo, ad duodecesimum, non semper peccare, quod est evidens. Primo, quia non semper talis homo cogitat, nec aduertit se ignorare, sine aduertentia autem non est peccatum, utique actuale. Deinde licet pro aliquo tempore aduertat, non semper pro eodem tempore tenetur occupari in addiscenda fide, quia praeceptum discendi, quod affirmativum est, non obligat semper, & pro semper, sed temporibus opportunis: ac denique fieri potest, ut occurrat tempus, & cogitatio obligationis, & desit Doctor, & tunc etiam homo non peccabit propter impotentiam discendi, si tamè hæc tria occurrant,

X

& ni-

in quo subiecto sit peccatum ignorantie.

In qua carentia formaliter consistat hæc ignorantia.

An semper is peccet qui sua culpa ignorat, quod scire teneatur.

& nihilominus homo sit negligens, tunc a peccabit, & quoties id omiserit, toties peccata multiplicabit, si inter vnum, & aliud peccatum moralis interruptio intercesserit, sicut dicere solent Theologi de peccato non restituendi, seu de retentione rei alienae, & similibus.

Vtrum peccatum ignorantiae rerum fidei multiplicetur ad multiplicationem materiae.

7. In tertia obiectione petitur, an haec peccata multiplicentur ex parte materiae, quia multa sunt, quae ignorantur. Ad quod breuiter respondeo, si hoc peccatum consideretur praecise, vt est contra praeceptum fidei, non multiplicari, ex hoc capite: quia praeceptum est vnum, & tota illa materia per modum vnius praecipitur, & ideo omisio etiam est vna, quae potest esse grauior, vel minus grauis iuxta extensionem materiae. Est optimum exemplum in praecipto recitandi septem horas canonicas: nam omisio illarum vnum est peccatum, iuxta communem sententiam, propter rationem dictam: ita ergo est in praesenti. Dixi autem vt praecise est contra praeceptum fidei: nam si per ordinem ad alias virtutes ignorantia huius, vel illius rei sit peccatum, sic iuxta diuersitatem virtutum poterunt multiplicari peccata, quia tunc etiam praecipta multiplicantur, vt ex praecipto castitatis tenetur quis scire, fornicationem esse malam: ex praecipto vero iustitiae, furtum esse malum, & fidei exterius.

Quomodo ignorantia fidei distinguatur à peccato infidelitatis.

8. In quarta obiectione postulat, quomodo differat hoc peccatum, à peccato infidelitatis, potest enim aliquis cogitare, distinguere tanquam omissionem à commissione, quia hoc peccatum consistit in ignorantia negationis, vt diximus, infidelitas autem videtur consistere in ignorantia praeiudicii dispositionis, seu erroris. Sed non est adaequata distinctio, quia potest dari infidelitas, quae sit etiam omisio, vnde distinguere possunt tanquam omisio partialis, & totalis. Sed contra hoc procedit obiectio facta, quia tunc haec omisio esset quaedam infidelitas saltem partialis. Vnde dicendum videtur distinguere haec duo, quia infidelitas directe, & formaliter opponitur ipsi fidei: vnde prius honesta est credendi, & pia affectio ad fidem certam, & infallibilem: haec vero ignorantia de qua loquimur non opponitur directe fidei, sed cuidam preparationi ad fidem (vt hic dicam) scilicet scientiae seu apprehensionis materiae, quae necessaria est ad usum fidei, & ideo formaliter non excludit piam affectionem ad fidem, vt talis est, neque etiam tollit certitudinem, ac firmitatem circa ea, quae sciuntur, & creduntur, & ideo talis ignorantia nulla infidelitas est.

An ignorantia mysteriorum fidei possit esse in homine fidei inuincibilis. 1. sententia negat.

Probat 1.

9. Secundo explicandum est, an haec ignorantia in homine fidei possit esse inuincibilis, & à culpa excusari. Aliqui Theologi sentiunt, nunquam posse hanc ignorantiam excusari à peccato. D. Bonauentura in 3. distinct. 25. articulo primo, quaestione tertia, Gabr. articulo secundo, post quintam conclusionem, & Durand. quaestione prima: idemque sentiunt Syluester, & Angel. verbo ignorantia, & tenuit etiam Gloss. in capite primo de Summa Trinitate in sexto, verbo ignorantia. Fundamentum est, quia vnusquisque tenetur scire ea, quae ad suum statum pertinent, nec in illis cadere potest ignorantia inuincibilis, sed haec scientia rerum fidei, de qua tractamus pertinet ad statum Christianum, quem nullus fidelis ignorare potest: ergo neque etiam potest excusari de ignorantia illarum rerum, quae ad hunc statum generaliter pertinent. Secundo quia si homo faciat, quod in se est, Deus illuminabit illum, vel protidebit modum, quo ignorantiam depellat. Propter quam rationem aliqui existimant, etiam in infidelibus non posse hanc ignorantiam esse inuincibilem; ergo multo minus esse poterit in fidelibus. Tertiò quia articuli fidei solemniter celebrantur ab Ecclesia, & feruntur in ore omnium: quomodo ergo possunt ab aliquo fidei inuincibiliter

ter ignorari? Propter quam rationem videtur in hanc sententiam inclinasse D. Thom. 1. ad Corinth. 11. lect. 4.

10. Nihilominus dicendum est hanc ignorantiam aliquando esse posse inculpabilem. Ita sentiunt communiter moderni scriptores, Nauar. capite vndecimo, numero 22. Valquez, Azor, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez libro secundo, capite tertio, nu. 20. Ratio est, quia ignorantia non est culpa, nisi sit voluntaria, haec autem etiam in homine fidei potest esse multis modis inuoluntaria circa vnum vel alterum fidei articulum, vel etiam circa plures. Primò quia ipsamet obligatio sciendi tales articulos potest ignorari, fieri enim potest, vt multi fideles nunquam fuerint de hac obligatione docti, neque in eorum mentem talis cognitio ascenderit, quod est optimum signum ignorantiae inuincibilis; ignorata vero obligatione sciendi, consequenter excusatur à culpa negligentia discendi, & consequenter etiam ignorantia. Secundò fieri potest, vt aliquis sciens obligationem caruerit doctore, etiam illum diligenter quaesierit, de qua diligentia, quanta esse debeat, prudenti arbitrio relinquendum est, & fieri optime potest, vt talis homo iudicet prudenter se fecisse, quod moraliter poterat. Tertiò saepe contingit, vt licet aliquis habeat doctorem, propter incapacitatem non addiscat, neque percipiat ea, quae traduntur; quam excusationem aliqui admittere recusant, quia cum fides sit necessaria, vt medium, non videtur admitenda incapacitas eius in aliquo homine adulto. Dico tamen in multis esse posse sufficientem & maximam excusationem, praesertim in rebus obscurioribus fidei, quod ipsa experientia satis docet. Neque tota fides, quae praecipitur est necessaria necessitate medij: imò, vt supra dixi, aliqua sunt necessaria necessitate medij, quae non semper in re posulantur, sed sufficere possunt in voto. Vnde licet verum sit, nullum adultum esse incapax totius fidei actualis, nihilominus multa mysteria fidei possunt aliquibus esse ita obscura ad percipiendum, vt facile in illorum ignorantia à culpa excusentur. Et hinc fortasse aliqui excusant ab hac culpa omnes pueros ante pubertatem, & ideo dicunt pro illo tempore non obligari hoc praecipto, sed non est vera regula, nec fundata in iure, nec est iuxta consuetudinem Ecclesiae, ideoque non potest eas assignari, sed capacitas prudenti iudicio spectanda est.

11. Vnde facile patet responsio ad rationes contrariae sententiae. Ad primam dicitur aliquando posse cadere ignorantiam inuincibilem in his, quae pertinent ad statum, quia vel obligatio earum rerum potest etiam ignorari, vt dixi, vel ex aliis capitibus iam innotatis, quod maxime accidere potest in hominibus rusticis, & simplicibus, vt est communis turba fidelium. Ad secundam dicitur etiam falsam esse illam sententiam de infidelibus, vt infra dicemus, & illam regulam de faciente quod in se est, non habere hic locum, quia haec scientia, de qua tractamus non est necessaria simpliciter ad salutem necessitate medij in re ipsa adhibendi, vt dixi. Ad tertiam dico, recte illo argumento probari, hanc ignorantiam raram esse, praesertim inter Christianos, qui in communitate fidelium viuunt, & communiter instruantur, in quo sensu loquutus est ibi D. Thom. non tamen probat talem excusationem esse absolute impossibilem.

SECTIO II.

An possit esse in homine fidei peccatum commissionis contra hoc praeceptum fidei.

Reundo, quae sit secunda, etiam in ipsa ignorantia distincta.

Resolutio quaestioni affirmatiue.

Probat 1.

Probat 1.

Solutio argumenti ad 1.

Ad 2.

Ad 3.